FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG. PRUSS...

Franz Ernst Bruckmann



FR. ERNESTI BRVCKMANNI,
PHILOS. ET MEDIC. DOCT. ACAD. CÆS. NAT. CVR. ET SOC. REG. PRVSS. MEMBR. NEC NON POLIATRI WOLFF.

EPISTOLA ITINERARIA LVII.

SISTENS

SCIAGRAPHIAM MVSEI BRVCKMANNIANI

AD

PRÆNOBILISSIMVM, CLARISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM,

DOMINVM,


DOMINVM

JOH. WILH.

KRETSCHMANN,

MEDIC. LICENTIAT. CELEBERRIMVM, PHYSICVM PROVINCIALEM ET CONSVLEM, CVRIEVSEM PRÆSTANTISSIMVM, CONSVLTISSIMVM.

WOLFFENB. MDCCXXXVII.



VIR PRÆNOBILISSIME ATQVE DOCTISSIME,

FAVTOR MAXIME COLENDE!

Honorificam *Tuam* compellationem, qua domum meam Menſe Febr. a. c. benevolens ornaſti, gratiſſimo pectore, *Vir Prænobiliſſime*, iterum atque iterum cum animo meo recordor, ſimulque haud immemor vivo petitionis *Tuæ* amiciſſimæ, nempe ut *Te*cum communicarem iſtum ordinem, in quem naturalia muſei mei collocaſſem. His *Tuis* deſideriis jam dudum, niſi temporis penuria praxisque medica hoc vere primo, quo affectus varii morboſi apud nos hiſce in regionibus frequentes ſatis fuerunt, impedimento fuiſſent, occurriſſem. Avocamenta autem hæc legitima in malam partem noli rapere. Pronunc vero, mihi mediocriter redditus, petitioni *Tuæ* ex aſſe, conciſe tamen, ſatisfaciam.

Museum nostrum duo præcipue habet capita: *prius* rerum naturalium suppellectilem polydædalam & eximia nonnulla naturæ ludentis opera, in animi oculique curiosi gratam oblectationem, tanquam testes potentiæ & sapientiæ divinæ præstantissimos, exhibet; *posterius* vero res varias artificiales offert.

Prius dividitur (I.) in *rariora ex Regno naturæ vegetabili* desumta, & sequentes habet *sectiones*, quarum *prima semina & nucleos* præbet plus quam quingenta. In his nominatim videnda Pisum cordatum & mirabile, majus & minus, rotundum, seu semen Vesicariæ pisiforme, nigrum, cordis albi figura signatum. Daturæ veræ semen in India natum, Belgice Dutter, Dutra, Dull dictum, quod istius usus insanos reddat homines. Daturæ Hungaricæ grana. Siligo & Triticum, quod Argentorati aliquando, instar pluviæ, coelo ex nubibus delapsum dicitur. Triticum plurium aristarum. Sem. Natragulyæ seu Nadragulæ ex arduis Carpathum Hungariæ jugis, de quo conf. Matth. Belii prod. Hist. Hungar. Nov-antiquæ, quod, me judice, salvis tamen aliorum judiciis, cum sem. Belladonnæ convenit, & forsan idem erit? Avena Turcica. Rhabarbari veri sem. Pseudo-Oryza. Arista Oryzæ ex Oriente. Sem. Lini catharctici ex Anglia, Purgier-Flachs-Saamen. Myrrhis Bloxbergensis. Lopock Hungaricum. Lacrymæ Jobi, ex quibus Romanæ fidei addicti Rosaria, Pater noster dicta, compilant. Nuces fructus Limbaum ex mont. Carpath. Sem. Hondelette. Kali spinosum. Eryngium marinum speciosum. Kakile marinum ex albo-viridescens. Baccæ albæ Sambuci. Ossa cerasi pumili Hungarici, Wald-Kirschen. Pisum Americanum coccineum, Abrus, Conduri, Saga & Dambas dictum, variæ magnitudinis, proprie est phaseolus ala-

tus,

tus, h. e. foliis pinnatis ſeu ciceris, fructu eleganti coccineo macula nigra notato. Circumforanei fraudulenti in Germania hæc ſemina admodum inepte pro granis Paradiſi venditant. Eadem grana parva & brunna, macula nigra. Gramen dactylon eſculentum Indicum ſpica articulata Zanon. Phaſeolus Ægyptiacus, Lablab dictus, ſemine nigro, item ſpadiceo, Alpini. Faba jocoſa ſeu juccoſa, Mucunæ ſeu urticæ Indicæ fructus, phaſeolus ſiliqua deurente, Malabarice: Sedan Pottor, Teuffels-Bohne, brennende Bohne; hujus capſula flavis ſubtilibus villis, qui, quando cutim attingunt, inſtar urticæ mordent iſtamque rubefaciunt, undique tecta. Fructus Theæ ex India. Milii Indici ſemina, ex cujus ſtramine ſcopæ ad purgandum parantur. Avena piloſa ſeu Ægilops ariſtis recurvis quorundam, Bart-Haber, a barba piloſa; loco hygrometri inſervit. Lotus echinatus Cluſii. Phaſeolorum vulgarium ſiliquæ connatæ. Sego, Sago ſeu ſemen arboris Sago, figura quidem grana cujusdam plantæ refert, an vero naturale quid? an vero artefactum? non recte conſtat. Perhibent adduci ad nos ex Italia, ſed ex Anglia venit. Hæc grana, quando cum aliis cibis coquuntur, tumida fiunt, præmollia & gelatinoſa, ſperma tunc ranarum plenarie mentiuntur. Cum lacte vaccino cocta, inſtar oryzæ vel milii, delicatum certe, ſaluberrimum & maxime nutritivum dant alimentum, præcipue iſtis, ex longa corporis valetudine recreandis. Apud nos ſunt merces aromatariorum, qui libram pro floreno vendunt. Indi dicuntur adhibere iſta in cibis & panem, in variis muſeis in Europa videndum, ex iſtis parare. Sunt, qui putant eſſe medullam arboris Sagu, minime ſemen, ſed, me judice, videntur eſſe ovula piſcium exſiccata. Piſum ſubterraneum, Erd-Erbſen, ſeu Lathyrus ἀμφί-

καρποί seu supra infraque terram siliquas cum pisis gerens Moris. H. 2. Arachidua Botanicis, fructum forma, magnitudine & colore pisorum vulgarium supra, infraque terram ad radices edens, ex Syria, &c.

Secunda in medium profert *fructus*, ex his nominare placet glandes Quercus Hungar. calyce crispo; it. Hierosolymitanas; fructum Larycis Hung. Fr. Daturæ Persicæ veræ echinatum, semine brunno. Fabas St. Ignatii, saporis intensius amaricantis. Anacardium reniforme seu Occidentale, Acajou seu Cajou dictum. Hic recensentus & panis Dactylorum, Dattel-Brod, quem Africani ex dactylis non exossatis, sed tantum contusis parant, dum pulpam cum ossibus in corium animalium, non subactum, firmiter & compacte inforciunt, ita, ut pars corii pilosa extraversa, sit instar crustæ panis. Talem integrum panem Maroccanorum delegati ante aliquot annos *Gloriof. memor. Regi Magnæ Britanniæ, Georgio I.* dono dederunt, ex quo portionem quandam incisam accepimus. Sapore dulci dactylos refert, ex carne quassata & compressa dactylorum, in qua hinc inde ossa integra latent, membranæ animalis cujusdam, lixiviis non maceratæ, extus pilis albis obsitæ, impacta constat. Hæc massa, ut videtur, igne in furno non est cocta. Mora paucorum annorum hunc panem plane destruit, nam abit in pulverem & vermiculos pulverulentos, Milsen appellatos. Gallas Nitrienses Hungaricas, caryophyllos aromaticos figura exhibentes. Phaseolum Indicum majorem, spadicei coloris, cum fascia nigra. Phaseolum maximum Divi Thomæ, reniformem, See-Bohne, ex quo excavato Indi capsulas pro pulvere Tabacino parant. Pomum Colocynthidis integrum & maximum cum cortice & pedi-

pediculo seu Cucurbitam amaram. Fr. Kekum, Kekom-ette. Fr. Hondellæ, Hondelle-ette. Fr. Arboris Cinnamomi. Sem. Cupressi Americanæ Catesb. Hist. Nat. Carolin. p. 14. Tab. II. ex Curazou; multum distat a vulgari, odoris admodum suavis. Piper Æthiopicum nigrum seu piper Nigrorum Serapionis, Moren = Pfeffer; refert farciminula parva nigra fumo indurata. Piper Æthiopicum scopas referens. Nuces Behen. Fr. arboris laniferæ Javensis ex Insula Java. Fructus Argyrodendri scolymocephali duas species. Fr. arboris Coral Clusii seu Corallodendri American. spinos. flore ruberrimo. Thecam ficoidem Meleguette; est Cardamomi species omnium maxima & conditorium granorum Paradisi. Lobos integros & recentes Vainigliarum, odoris gratissimi balsamici, de Berbice ex America, anno superiori, 1736. saltim decerptos. Conos arboris Limbaum cum suis nucibus ex jugis Carpath. Conos larycis ex Hung. Conum Pinus sativæ, sine nucibus, divaricatum. Caryophyllos regios e filo duplicato suspensos, &c.

Tertia aromata omnibus nota; *quarta radices* monstrat, & *quinta ligna*, ex his recensentum : Rhodolignum seu Aspalathus albicans Torulo Citrino Casp. Bauh. Pinax. quibusdam Agallochum seu Olea Æthiopica Cordi. Aspalathi ligni varia genera. Agallochum spurium ceylanicum, admodum durum & resinosum. Lign. Camphoræ verum arboris Camphoriferæ Jacob. Breynii, odore optimam Camphoram referens. Lamella ligni Cedri inodori. Achallochum selectissimum Calambac. dictum. L. stercorinum seu fœtidum Olai Wormii, odore singulari excrementa humana referens, ex arbore Ligne Merde, Dreck = Holtz, Javæ majoris Indiæ Oriental. desumtum. L. dictum saccharinum vel

vel Coabæ Olai Wormii, Belgis Suykerkisten - hout, admodum durum, sed absque odore. L. Arbuti. L. arboris Sumach. L. Carobaccinum. L. arboris Judæ. L. Mastichis. L. Colubrinum. Scipiones duo ex arbore Coffe. L. cetri vel potius Juniperi Bormundiani. L. Coral. L. ferreum. L. Krumholtz ex carpatho, &c.

Sexta in medium profert *fungos*, *viscos*, *Agaricos*, *Lichenes*; adsunt Fungus seminifer calici formis Menzelii seu Fungoides infundibuli forma semine fœtum Tournefort. 560. Est congeries minutorum fungulorum pileatorum, qui intra fungulum calici formem nascuntur, singuli in suis pediculis. confer. Ruppii Flora Jenensis p. 354. Fungus penem referens; an sit Priapus vegetabilis, Zeylan. Bandura, qualis in ambulacro Horti academici Lugduno - Batavi videndus? Tubera terræ ex Comitatu Liptoviensi Hung. Jeleny Huby, Hirsch = Schwämme, Slavis ibi dicta. Fungus ramosus luteus, cornua Damæ referens, Germ. Ziegenbart. F. Hypoxylon digitatus. Lichen capitulis coccineis ex Sylva Thüring. rusticis, qui istum ad febres intermitt. curandas adhibent, Fieber = Schwamm dictus. Lignum solis, Sonnen = Holtz, est species Visci arborei, ex quo Viennæ Aust. corallia pro rosariis tornant, ita dictum, quod in singulis globulis tornatis binorum folium radiatorum signatura evidenter videnda. Lichen petræus instar acetabuli vel oculi cancri excavatos minimus fungoidi Tournefortii affinis, ex monte Insulano Thuring. F. ligneus digitatus cum apicibus albis Osnabr. Agaricus arboreus coccineus, similis plantæ illi, quam Menzelius in pugillo vocavit fungos minimos incarnati coloris musco innatos. Est Agaricus, quantum constat, nondum descriptus. Lichen petræus leprosus, veluti cretaceus, &c.

Septima

Septima cortices & putamina continet, nempe Corticem Winteranum ſeu Magellanum, Magellanicum; Caſſiam ligneam veram, quæ eſt Canellæ Malabaricæ ſpecies, &c.

Octava Herbas & Folia recenſet, &, præter Herbarium vivum, conſiderandum offert folia & ramos palmæ Dactyliferæ, arundinem ſacchariferam, arborem Cinnamomi cum ramuſculis, & radice. Quercus marinæ varias ſpecies; algas marinas, Klipp-Kraut; Algam ſacchariferam; plantas marinas retiformes; Keratophyta marina; vegetabilia aliquot marina Cadvico-Nordvikiana, ex Oceano vel Mari Britannico. Tamariſcum marinam; Cupreſſum marinam. Ramulos arboris Camphoriferæ. Hieracium myophoron. Salicem Orientalem Davidis; Semen Palmæ maſculinum botryoides, &c.

Nona ſectio *Flores*; & *decima Gummata & Reſinas* enumerat; in his præcipue miratur Gummi aureum criſpum, inſtar macis, ex cortice Fagi eleganter protruſum. Camphora ex radice Cinnamomi. Pancopal. Gum. Guajacum nativum. Gum. dictum kikekunemalo ſeu Guequenemale; eſt ſpecies quædam, me judice, Gummi Copal albi, &c.

Decima viſui offert *olea vegetabilium*, *Balſama nativa* & reliqua Regni vegetabilis corpora, inpr. oleum Krummholz-Oehl, Koſodrevini Oley, Koſzo drewini Oley dictum, ex mont. Carpath. Oleum Limbaum-Oehl dictum, ex iisdem jugis. Balſamum de Tolu ſiccum in cucurbita. Balſamum verum Orientale. Balſ. Ranckyſiri de Berbice ex America 1736. transmiſſum. Balſamus Rackaſiri, qui in Europam in cucurbitis, uti Tolutanus in Calebaſſiis ſeu Cabaſſis, defertur, præcipue laudatur in vulneribus ſinuoſis & fiſtulis, proxime

quoque ad Myrrham accedit, & multum gummoſi in ſe continet, quod clarum ſit & videndum, quando iſtum cum alcohol vini ſolvere tentamus. Hujus concreti exactam deſcriptionem nemo hactenus, quantum ſcio, dedit, ſaltim in catalogis Drogiſtarum titulotenus adductum. Balſamum Styracis. Balſ. dictum Americanum rubrum, quod nobis factitium eſſe videtur, & quidem ob cauſam, qua Terebinthinam admodum redolet. Sal ex herba Kali, & Cœruleum optimi coloris ex iſto ſale, a D. Doct. Henckelio ante aliquot annos Freibergæ inventum, nobiſcum benevole communicatum; de quo confer. ejusd. Flora Saturnizans. *Ceram viridem*, Novæboraci (New-York) excoctam ex Myrto Brabanticæ ſimili Caroliniensi baccata, fructu racemoſo, ſeſſili, monopyreno Pluknet. Almag. Plantæ hujus elegantiſſimam iconem dedit Dom. Catesby in Hiſt. Nat. Carol. Vol. I. Tab. 69. ubi & in deſcriptione modum excoquendi oleum tradit. De hac cera, cum nullus unquam quid meditatus fuerit, plura *Tecum* ex literis celeber. atque Doctiſſ. Lugdunenſium Botanici, D. Doct. Joh. Frid. Gronovii, die IX. Mart. a. c. cum cera & candela ex iſta confecta ad me miſſis, communicare lubet; verum admodum ſuccincte. Eſt maſſa pinguis, quæ poſt coctionem aquæ ſupernatat, &, ea refrigerata, in ſpiſſitudinem ceræ, optimi viridis coloris, induratur. Tactu ſaponem Hierichunticum & Terram Lemniam refert, quam & ſapore quoque. Guſtu minime inſuavis eſt. Odore aromaticum ſe offert. In Carolina, Virginia, Marilandia & Novæboraco modo inſervit ad conficiendas candelas, de quibus mox. Vir Doctiſſ. in Galliis nuper fragmentum miſit ad Dom. Gaubium, quod vix drachmam æquabat; an forte eam de albandi methodum excogitare poſſet, de quo ſucceſſu valde dubitat laudatus Gronovius, quippe cum ipſi copia ſuppeteret (globum

X X enim

enim 50. librarum accepit) variis in locis, quæ ceræ flavæ dealbandæ inserviunt, istam operationem inutiliter tentari curavit. In Angliam hanc ceram ajunt, pœna capitis prohiberi, quum Societas Turcica inde multum damni pateretur, utpote cui soli Turcicam inferre licet ceram. A vulgari cera non differt multum, nisi oleo & butyro, quod ex sequentibus experimentis celeber. D. Gronovii innotescit:

a) Ex Drachm. III. in retortam vitream, puram & siccissimam, immissis, ope leni arenæ igne destillavit in excipulum aqua lactea (paucissima tamen copia) quæ odore non ita ingrata nares ferit, ac aqua, quæ solet ex cera vulgari flava prodire.

b) Igne magis aucta Butyrum conquirebatur albissimum, longe durius, quam ceræ vulgaris, ac odore empyreumatico multum superans: majori quoque egebat igne.

c) Igne arenæ in summum tandem aucto, pergebat modo dicto destillare, obstruens sæpe retortæ collum. Hoc ultimum butyrum colore & consistentia non multum differebat a primo.

d) Solutis vasis in fundo retortæ vix restabat Drachm. I. capitis mortui.

e) Iterata destillatione ex recentibus vasis nullum fere apparebat oleum, sed tota quanta in forma butyri iterum transtillabat albissimi, æque duri ac prioris. Concludit. Apes itaque parum admodum, quin imo nihil, conducunt ad ceram; solummodo sunt fures optimi succi florum in nectario collecti. Candelas ex ista cera, addendo æqualem partem sevi ovilli depurati, confici curavit. Americani quinquaginta libris adjiciunt duas uncias pigmenti istius, quod Indigo vocatur. Iidem quoque plan-

plantam, quæ fructus iſtos præbet, vocant *Candleberry-myrtle*, quaſi dicas Myrtum, quæ profert baccas, candelarum uſum præſtantes. Paulo largius de hac cera *Tecum* agere volui, quum res plane ſit nova & exactiori examine digna. Forte & ipſe velles experimenta quædam inſtituere, hinc adjeci dimidiam fruſtuli, quod a D. Gronovio accepi, partem. Hac quoque cera viridi vegetabili, non animali, loco ſigilli, hanc in præſenti obſigno epiſtolam, & reliqua muſei rariora in ſequentem reſervo. *Te* autem, *Vir Prænobiliſſime atque Conſultiſſime*, tutelæ divinæ commendo, me vero *Tuo* favori, qui ſum & maneo

Nobiliſſime Nominis Tui

Wolff. d. 9.
Maji 1737.

cultor obſervantiſſimus

Br. D.



